# DE SIGNIS EX URINA POGNOSTICIS DISSETATIO INAUGURALIS...

Giuseppe Vertova

DE

# SIGNIS EX URINA PROGNOSTICIS

*Dissertatio Inauguralis*

QUAM

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI D. FACULTATIS MEDICÆ DIRECTORE

SPECTABILI D. DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

**AUSPICE**

DOCT. ANGELO VITTADINI

***Anatomes sublimis et Physiologiae Prof. O.***

AD MEDICINÆ LAUREAM RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

**Mense Martii 1847**

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS


## VERTOVA JOSEPH

EX VAJLATE IN PROV. LAUD. POMP.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

# OPTIMO PATRI MEO.

Si qua virtus est quae divinae in terris imaginem porrigat hominemque rerum omnium Satori ac Regi optimo efficiat simillimum, beneficientia ea plane est. Porro ut jam caetera praetermittam, quis te beneficientia praestabit? Num quisquam adeo humilis est cui facilis ad te non aditus pateat, quemque opibus tuis parvis non adjuves? Ast nemo sane potiori jure, quam ipse, se tuis obstrictum beneficiis profiteatur: tot enim tantaque sunt ut iis enumerandis lingua impar sit, magis impares vires sat dignas grates referendo. At si nil est quod tibi digne rependam, satius tamen quo fieri potest, rependam.

Jam dies optatissima advenit qua tot annorum laborumque fructum colligam, jam laureum mea tempora decus coronat. Mos est, accademicam edere dissertationem: atque hanc tibi jampridem voveram utpote gratissimum quod tibi foret, mei grati animi pignus. Ea enim, ut ita dicam, et absoluti studiorum curriculi et rei peractae signum. Hanc igitur tibi lubentissimo corde dicavi: tuque ne muneris inspicito, quaeso exiguitatem, ast donantis inspice animum. Tuorum igitur memor usque beneficiorum, memor usque te mihi patrem amantissimum gesisse, et ipse filii semper charitate ac observantia te colam. Vale.

*Filius Uumil.*

JOSEPH VERTOVA.

# DE SIGNIS EX URINA PROGNOSTICIS

» *Urina est meretrix et mendax*; nihilo-
» minus urinarum inspectio in praxi
» medica est usus eximii... Ideoque pe-
» riti et fidelis medici est operam dare,
» ut, quod artis est, de urinis haud te-
» mere negligat ».

*Allen. Syn. univ. med. pract.* §. 788.

## INTRODUCTIO.

Quemadmodum ad rectam morborum diagnosim instituendam urinarum inspectio quammaxime conferre potest, ita pariter ad eorum divinationem rite pronunciandam illarum examen magni profecto momenti est. Summus medicinae Parens maximi hoc criterium faciebat ad morborum exitum praenunciandum, illudque non modo pulsibus verum etiam aliis quibuscumque indiciis praeferebat. Galenus et ipse in morborum prognosi statuenda maximum habebat urinarum qualitatibus respectum, pluresque hac de re libros conscriptos reli-

quit, qui nunc etiam temporis magna cum utilitate leguntur. Prosper Alpinus plura in morbis praesagia ab urinarum conditionibus erui posse praecipit, huicque argumento plura in classico, quod edidit, opere *De praesagienda vita et morte aegrotantium* capita dicavit. Et perillustris denique Zeviani, ut aliorum quam plurium medicorum auctoritatem silentio praeteream, tantum urinarum inspectio ad morbosas vix non omnes adfectiones divinandas existimabat, ut a medicorum istius excrementii humoris observationis neglectu, minorem ipsi coëvam prognoseos certitudinem repetere non sit cunctatus.

Quamvis vero non parum luminis in morborum prognosi pronuncianda ab urinarum observatione medicis prosilire inficiari nequeat, alia tamen ex parte multo majus quam par est huic criterio momentum a veteribus potissimum tributum fuisse fateri oportet. Cavendum revera sedulo est ne nimia urinarum alterationibus significatio tribuatur, monendumque imo nonnisi postquam et altera morbosa phaenomena ad trutinam sint revocata, et insimul considerata. Celeberrimus Boerahavius, qui maximam in morbis divinandae urinae virtutem tribuebat, praecipiebat » in morborum judi-

» cio de urina, simul accuratissime atten-
» dendum ad reliqua signa in morbis appa-
» rentia; aut aliter artem hanc ubique falla-
» ciae esse plenissimam (1) Caetera enim,
» ipse addit, si sola ex sola ex urina conji-
» ciantur, incerta et ridicula fere sunt (2) »
Allenius *eximii in praxi medioa* usus urina-
rum inspectionem esse tradit, sed tunc solum-
modo *cum reliquis symptomatibus rite pensi-
tatis conjungatur.* » Inter functiones natura-
» les laesas inquit praestantissimus Vastapa-
» ni (3), urina esse potest, a cujus aequa cum
» aliis signis inspectione, prouti medicis da-
» tum est, morborum diagnosim prognosim-
» que eruere queunt prudentes clinici; aequam
» dixi unacum aliis signis inspectionem, ut ine-
» ptum vulgus et inter urbanos homines, non
» paucos ab agyrtis circulatoribus, si possi-
» bile est vindicemus, qui perfricta fronte, et
» vaferrimi, se ex sola urinae etiam a dissitis
» regionibus translati, omnes et singulas cor-
» poris agitationes noscere canunt, dolores ex-
» ternos internosque; tum ab hac inspecta
» graviditatem divinare, et nasciturum foetum,

(1) Op. omn. med. §. 991.
(2) Ibid. §. 1017.
(3) Comment. in praecip. Hipp. aphor. p. 38.

» an marem an foeminam, et centenas alias » fabellas. » Quibus nos addemus numquam obliviscendum esse urinas per diversas qnoque circumstantias diversimode, quin id a morbosa conditione procedat, variare posse, propter nimirum aetatem, sexum, temperamentum anni tempestatem, sex rerum haud naturalium usum, assumpta medicameata et similia, quemadmodum cum Boerahavio rite admonet perillustris Hartmannus (1). Quibus omnibus si debitus habeatur respectus ad morborum divinationem pronunciandam non maximam conferre symbolam urinarum examen conferre non potest.

Quum itaque haec saepesaepius mente pervolvissem, atque neotericarum hujusmodi momentosi criterii observationis neglectum animadvertissem non absque utilitate rem me acturum fore confisus sum si inauguralem disceptationem conscripturus, quae in morborum divinatione ab urinis erui possunt, indicia exposuissem, atque tali ratione in hanc vix non oblitum prognoseos fontem medicorum attentionem iterum revocassem.

Antequam vero ad signa ab urinis proma-

(1) Patol. gener. p. 239.

nantia tradenda procedam, advertendum hic locorum est multiplici sub intuitu urinas prognostica criteria suppeditare posse, quae quidem ex sequentibus earum qualitatibus depromuntur, videlicet:

1. Ex earum fluiditate, sive densitate;
2, Ex superficiei conditionis examine;
3. Ex sedimento, quod deponunt natura, sive ex hyporthasi;
4. Ex principiis iu iisdem contentis;
5. Ex ipsarum colore;
6. Ex sapore;
7. Denique ex odore.

Nos sub singulis hisce respectibus singillatim urinas breviter considerabimus.

*De indiciis ab urinarum fluiditate eruendis.*

Densitatis, qua instruuntur, respecta *tenues* vel *crassae densae spiseae* esse possunt.

Urina tenues et pallidas in febribus acutis occurrentes, mali ominis in febribus acutis esse, quippe quae graviorum symptomatum et delirii apparitionem praenunciant, Macbridii sententia fert. Minus autem periculosae evadunt hujusmodi urinae si in morbis nervosi generis

se manifestant, imo in hujusmodi adfectionibus tam solemnes esse consueverunt ut potissimum paroxismorum hystericorum et hypochondriacorum signum in eisdem sistere celeberrimus Sydenhamius auctor sit. Bonumque est dum istarum qualitas mutatur, inque turbidas densioresque convertuntur, paroximi enim terminationem significant. Quae in morbo comitiali laborantibus obveniunt urinae crudae tenuesque imminentem insultum, Hippocrate docente, indicant. In infantum morbis malae utplurimum esse hujusmodi urinas praecipit Prosper Alpinus. Quae ab initio acutorum morborum tenuis observatur urina et temporis progressu minime mutatur, eadem semper manens, quamvis flavum aut rubrum in posterum colorem induat, crisim bonam non consecuturam, diuturnamque fore morbum denotare Medicinae Parenti vix non omnes assentiunt Medici, qui pariter pro certo habent bonum praefari, proximamque crisim praedicere quae, initio talis, in densiorem et turbidam deinde convertitur. Urina tenuis et rufa, non subsidens, vel tenuis, aurea, non turbata, constans, quae in acutis mehitur morbis impeditam coctionem, magnam adhuc cruditatem, difficilem crisim, morbi diuturnitatem, et vitae discrimen ex

probatioribus observationibus constat. Si in peracutis adfectubus mingitur talis urina certo certius mortem portendit. Et male, testanter Hippocrate, ominantur hujusmodi urinae in morbis quos delirium comitatur, potissimum vero in pleurisiis atque peripneumoniis. Hisce tamen postremis in adfectionibus monendum ut aliquando urinas, de quibus sermonem habemus, observari, quin aliquid aegrotantibus periculi immineat, imo contrarium prorsus, licet perraro, nonunnquam contingere, quemadmodum a praeclarissimo J. P. Frank adnotatum est, qui istiusmodi urinas criticas semel observasse tradit. » Annis 1791 e 1792, » inquit ille, quum plurimae peripneumoniae » eaeque gravissimae Ticini regnarent conspi» cuum aegrorum hoc morbo adflictorum nu» merum conspeximus, qui sub urinae palli» dae, aut clarae atque omni sedimento de» stitutae copiosissima excretione felicissime » judicatae fuerunt. Ad libras, scilicet, decem, » duodecim et ultra per multos satis dies min» gebantur tales urinae, nec recordamur aegri » ullius, qui sub tum insolito phoenomeno » morbo perierit. Nec tamen sitis his in aegris » quam in aliis perineumoniis major, nec al» terius, naturae vel potulenta, vel medica-

» mina, quae aegris obtuleramus, fuere (1) ». Quam quidem observationem lubenti animo hic retulimus, quippe quae vel per se ipsam sufficit ad ostendendum quomodo non urinae tantum qualitates, verum etiam caetera phoenomena, ut recta pronuncietur divinatio, perpendenda veniunt.

Crassiores sive densiores urinae minus timendae generatim sunt, utpote que minus periculi portendunt. Hoc tamen indiscriminatim non est admittendum, non desiderantur enim casus in quibus et ipsae malae ominantur. Pinguis urina, et veluti oleosa phthisim et atrophiam, docente Boerahave, minatur. Quae densior toto morbi decursu urina diuturnum morbum in robustioribus, mortem in debilioribus praenunciare ex Perrone sententia constat. Pejus autem haec urina praefatur si, initio morbi talis, in tenuem aquosamque in posteram mutatur, imminentis enim phrenitidis indicium esse testatur Allenius; quod si autem in phrenitide detentis comparent magnum discrimen, proximamque mortem significant.

De urinarum densitate haec sufficiere putamus, quum enim diversa eorum fluiditas plu-

(1) Interpr. clin. obs. select. XXII.

ribus aliis utplurimum urinae qualitatibus copuletur, dum de istis locuturi erimus, alia plura memorari oportebit.

*Praesagia ex urinae superficie deprompta.*

Non minus ac urinarum densitas, adspectus, quem earum in matula collectarum superficies praesefert, in morbis divinandis, examinari meretur.

Interim urinae in vase collectae superficies nubecula quadam obtegitur, quae diversos pro diversis circumstantiis characteres induit, atque aeneorematis nomine passim salutatur. Si hujusmodi nubecula inferiora versus niti videtur, bonum quidem est, malum e contra si ad superiora vergat. Pariter bona est nubecula, quae candida cernitur, dum male praefatur, quae nigrum ostendit colorem, pejus adhuc quae versicolor est, incipientem enim febrim hecticam denotat. Quod quarta morbi die manifestatnr aeneorema, si Hippocrati fides est habenda crisim septima die obtenturam significat; quae serius obveniunt diuturnioris morbi, difficilisque criseos metum incutiunt. De tabe et colliquatione loquuntur aeneoremata veluti guttulis adyposis, lotii superficiei natantibus;

veluti aracnaerum tela dispositis, conflata. Si diutius in vase, quo colligitur, conquassata urina in spumam vehitur diutius duraturam difficilioris criseos index est, diuturnitatem, Boerahavi ad mentem, in morbis pulmonum catarrhalibus praefatur.

*Quae ex urinarum sedimentis, sive hypostasibus divinanda sint.*

Prae ceteris urinae qualitatibus, sedimentum, quod ipsa sibi relicta, in matula, qua colligitur, saepenumero deponit, *hypostasis* nempe, maximam sibi vindicat spartam in morborum exitus praedictione, atque idcirco de ipso aliquantisper fusius disserere malumus.

Ast hic locorum omnium primum admonendum est urinarum sedimentum, sive hypostasim multiplices adspectus praeseferre posse, pro quorum diversitate prognosis quoque ab hoc charactere desumenda, multimode variare debet.

Urinarum itaque sedimentum, juxta diversas, quibus componitur substantias, characterumque, quos obfert, differentias esse potest: 1. *Albidum*; 2. *Flavescens*; 3. *Rubellum* aut *rubrum*; 4. *Viride*; 5. *Nigrum*; 6. *Coeru-*

*leum*; 7. *Lateritium*; 8. *Saccharinum*; 9. *Mucosum*; 10. *Sanguineum*; 11. *Puriforme* et *purulentum*; 12. *Sabulosum* et *calculosum*.

*Sedimentum albidum*. Hujusmodi hyposthaseos species boni ominis generatim in morbis esse consuevit, faustique utplurimum exitus indicium praebet. » Urina optima est, inquit » Hippocrates (1), quae habet albissimam sub» sidentiam, et levem, ac aequalem per totum » tempus, donec judicatus fuerit morbus ». Optimi praesagii in febribus acutis hanc subsidentiam deponentem urinam Boerahavii sententia fert, qui equidem tradit si critico tempore ipsa evacuetur, sanationem portendere, abscessusque tolleret (2), quod eidem assentitur cum aliis Doctor Perrone (3). Meliora adhuc ominatur hoc sedimentum, si pyramidis quasi formam praeseferat, et vasis agitatione difficillime sejungatur. Et celeberrimus Hildenbrandius criticae urinae notas perhibens hujusce sediminis non obliviscitur. » Optimis urinis, » inquit ille, accensendae in genere sunt eae, » quae moderate copiosae, vix odorae, sub » mictu limpidae, saturate tinctae, quasi pin-

(1) De giudicat. 1.
(2) Op. cit. §. 1016.
(3) Appen. alla Traduz. delle Istit. pat. di Fausago.

» gues, a mictu turbidae yposthasim depo» nentes, cito subsidentem, copiosam, levem, » albescentem (1) ».

*Sedimenta flava viridia* et *rubra*. Sedimenta flava organi bilis secretionis famulantes vitium ut plurimum ostendit, quod pariter indicat quod viride est aut in hunc colorem nititur. Rubellum et rubrum easdem interdum significationes habet, generatim autem in morbis cum adaucto eccitamento vitali copulatis advertitur. Quod in febribus intermittentibus occurrit sedimentum rubrum specialem hic mentionem meretur, utpote quod ad obscuram aliquando morbi diagnosim patefaciendam maximam symbolam confert.

*Hyposthasis nigra*. Quotiescumque nigra quaecumque materies ab urinis deponitur de morbo gravissimo aleaeque plenissimo pronunciabis, haec enim sedimento species, *totam*, ut Macbride verbis utar, *humorum universitatem in putredinem vergere significat* (2), pessimique semper ominis signum est, ex eo quod in illis semper morbosis adfectionibus observatur *in quibus*, ipso auctore referente, *acrimonia quaedam putrida sanguinis crasim jam insi-*

(1) Inst. pract. med. t. 1 p. 125.
(2) Introd. method. in theor.

*gniter dissolvit.* Vix non semper vitam cum morte commutari illis in morbis in quibus nigrum aut plumbei coloris sedimentum urina deponit Hippocrati et Galeno omnes assentiunt medicinae scriptores.

*Sedimentum coeruleum.* Perraro observatur, idemque an ejusdem coloris urina, de qua inferius locuturi erimus, significat.

*Sedimentum lateritium.* Frequentius praecaeteris hanc yposthaseos qualitatem deponunt urinae, diversa autem praesagia portendit; malum enim est si initio morbi obveniat, semperque continuat, bonum e converso si circa criticas dies locum habet.

Huic sedimini accersuntur urinae materiem farinae similem deponentes, quae in gravioribus, morbis observantur, infaustumque morbi exitum aut saltem ejus diuturnitatem generatim praedicunt. » Quibus febricitantibus, inquit Hippocrates, in urinis subsidentiae fiunt » crassiori farinae similes longam infirmitatem » significant ». Et alibi, ulterius procedens. » Si urina, ait, sedimentum » ferat speciem » farinae crassioris, malum est; deterius his » si squammularum institutione consistit; si » verum tenue et candidum admodum est, » vitiosum est; furfureum vero deterius est ».

*Sedimentum saccharinum* — In diabete tantum mellito occurrit, pathognomonicum teterrimae hujus adfectionis symptoma, duratu difficillimum ancipitemque admodum morbum arguens.

*Sedimentum mucosum* — Quotiescumque in urinis apparet hoc sedimentum morbum, perillustri docente Professore Corneliani (1), indicat vel a generalis adsimilationis vitio procedentem, vel adauctae muciparae organorum uropojeticorum tunicae secretionis nuptum. Hoc jam tradiderat Macbride, qui hujuscemodi hyposthasim partium laxitatem, multamque crudorum non modo in primis viis, sed etiam toto in corpore humorum vim significare praeceperat, ac utpote diuturnioris morbi indicium habuerat.

*Sedimentum sanguineum* — Clari sunt admodum morbi in quibus talis hypostasis in urinis obtinet; quum vero locum habet mali semper ominis criterium praebet. Nam hujusmodi sedimento qualitas, vel talem organorum uropojeticorum alterationem supponit, in qua adsit continuitatis partium solutio quemadmodum in vesicae, uretherum, renum ulceribus,

(1) Inst. Path. gen. t. II p. 193.

vulneribusque evenit, vel ad altiorem gradum evectam humorum dissolutionem ostendit, quapropter sanguis e propriis receptaculis facile exit. Hinc in scorbuto jam adulto aliisque similibus adfectionibus solemne esse solet, et, dum apparet vix non omnem sanationis spem eludit.

*Sedimentum puriforme* et *purulentum* — Haec sedimenta vel ab organorum urinarum secretioni et excretioni famulantium ulceratione procedunt, vel in empyemate aut peripneumoniis ceu crisis contingit hasque adfectiones, testante Allenio, solvit. Prouti ergo unius vel alterius adfectionis soboles est, diversimode praefatur.

*Sedimentum sabulosum* et *calculosum* » Quibus in urina arenosa subsidunt, his vesica » calculo laborat » inquit Hippocrates, ex cujus effato quam male ominentur haec sedimenta patet.

### *Ex contentis in urinis prognostica.*

Plura in lotio eterogenea contineri possunt, a quibus varius eidem impertitur adspectus; talia essent cruor, pus, mucus, caruncnlae, anguillulae et caetera. Quaenam ve-

ro divinationes ab ipsis sint eruendae vel a jam expositis patet, vel ab inferius tradendis elucebit.

*Urinarum color ceu criterium prognosticum.*

Ex iis, quae hucusque retulimus, urinas diverso admodum colore instrui posse jam patefit. Nunc admonebimus hanc colorum, quos urinae praeseferre queunt, diversatem in causa diversarum divinationum fieri.

Colorem quod attinet, *albae*, *rubrae*, *croceae*, *virides et nigrae*, *coerulaeque* urinae habentur, quibus et *lacteam* addere oportet.

Quae albo instructa colore in febribus, ut vocant, acutis excernitur urina, periculi plenissima, juxta Galeni sententiam, praenunciat. Subalbida et crassior variolarum quandoque, Allenio monente, eruptionem praedicit. Alba remissior, veluti lactea in acutarum febrium exordiis, naturae laboris, magnae in corpore putridae materiei vis, diuturni frigidique morbi, ad ipsius Allenii mentem, indicium praebet. Albam aut flavo pallidam in acutis morbis occurrentem urinam, magnum generatim discrimen portendere Galenus auctor est.

Magnam cruditatem, morbi diuturnitatem, magnumque periculum illis in adfectionibus inesse, in quibus rubro praeditum colore mingitur lotium a Boerrahavii praeceptis innotescit; hocque paesertim contingit si quodcumque sedimentum desideratur. Sin autem plus minus copiosa hyposthasis adsit, tunc vasorum laxitatem manifestat, quae diuturnioris aegritudinis in causa esse consuescit. Quod intensiorem urinam rubra colorem induat, tunc violentissimam febrim adesse pro certo habe, sique hujusmodi lotium sedimento et nubecula destitutum videas pro tanto futurae mortis signo judica.

Flava et crocea urina hepatis utplurimum passiones comitatur, et magno generatim periculo vacat.

Viridis et nigro colore tinctum aliquando mingitur lotium, et quidem, proh dolor! semper cum aegrorum discrimine. Viridis urina crassam deponens hyposthasim atrabiliariam, Boerahavio docente, temperiem significat. Si morbi initio hunc induat colorem, qui temporis progressu in nigrum aut lividum convertitur, quemadmodum in febribus pestilentialibus videres, mortem imminere Vastapani praecipit. Viridis et nigricans urina, inquit Allenius,

virulentorum et venenatorum morborum signum est. Nigras urinas malas vocavit Hippocratis, eoque magis si nigrum etiam sedimentum deponant, sicuti febribus sic dictis putridis observare contingit, in quibus harum urinarum adparitio imminentem mortem indicare valent. Semper mali ominis esse iu morbis quibuscumque acutis et potissimum in illis capitis nigras urinas praecipit Ludwigius, eoque magis si griseo aut flavo urinarum colori illae succedant. Si lente et guttatim fluent hujusmodi urinae certam et proximam mortem praefantur. Ast melius hisce de nigro lotio animadversionibus finem imponere nesciremus, quam Galeni sententiam ipsius auctoris verbis hic referendo: » Pessima igitur, ipse ait, est tota urina deni» grata, adeo ut neminem unquam servatum » viderim, ex iis, qui talem minxerint. »

Superesset denique ut de urinis cyaneo colore tinctis a Julio Fontanelle, Orfila, Thénard, Braconnot aliisque observatis et lactis characteres referentibus, quas Cabal, Warzar, Bizio et Canobio memorant, mentionem haberemus; sed quum nihil ad prognosim conferant, eas libenter silentio praeterimus.

## *Quae ex urinarum sapore et odore prosiliunt divinationes.*

Dulces, acres, acidulae, amarae urinae ab auctoribus adnotantur; desunt tamen peculiares observationes ex quibus eorum prognosticas significationes arguere fas sit. Hic itaque tantum insipidam interdum urinam se praestare, memorasse contenti erimus ad magnum discrimen portendere equidem admonentes. Hoc jam docuerat Boerhaavius, de hac urina qui inquit; *Clamat effoetas naturae vires mortemque propinquum.*

Tam foetido nonnunquam odore scatet urina, ut referente Zimmermanno quondam in Anglia contigerit, ut mortem chirurgus qui eam syphone eduxerat, nactus fuisset. Docet Boerahavius in morbis tum acutis, tum chronicis magnum foetido odore scatens urina discrimen aegrotantibus portendere, qui difficillimo semper negotio sanationem assequuntur. » Foetida urina, inquit Galenus, indicat pu» trefactionem, et interminitionem virtutis ». Lethaliores » autem sunt, praeceperat Medi» cinae Parens, urinae, et foetidae, et aquo» sae et nigrae et crassae ».

Quod de foetido lotii odore, de alkalescente, eoque magis de putrido et cadaveroso illius odore repetere decet.

Suaveolens quoque a nonnullis recordatur urinarum odor, ast forsan nunquam a practicis inventus fuit.

Hisce brevi nostrae dissertatiunculae finem imponibus. Quaecumque in ipsa retulimus a praestantioribus medicinae scriptoribus deprompta fuere, et nobis notatu magis digna visa sunt. Quotiescumque de aliquo morbo judicium ferre debeant medici, urinarum inspectionem minime negligant; magna exinde utilitas prosilitura profecto erit. Ast nunquam obliviscantur ( superius jam innuimus, repetere vero non toedet ) in hoc tantum criterio fidendum neutiquam esse. Omnia, quae aeger obfert, insimul ad trutinam revocentur, et tunc rectam tutamque prognosim proferendo aegrorum utilitati, et curantium decori consuletur.

FINIS.

## THESES DEFENDENDAE.

1. Kephalotribe a Baudeloque inventum utillimum obstetricantibus auxilium.

2. Adhuc difficile est febris definitionem dare.

3. Tutior in colica saturnina medela ab opio repetenda.

4. Multam phlebothomiam apoplexiam facere cum Boerhaave contendimus.

5. Aëris vicissitudines ad pellagrae evolutionem parum conferunt.

6. Urinarum inspectio non paucam in morborum prognosi utilitatem afferre potest.